

pro peccato cap. IV, V et VI. Itaque de prima sacrificii specie dicitur hic  $\gamma$ . 3: *Si holocaustum fuerit eius oblatio*. Porro quid est holocaustum, querit S. P. Aug. in psal. LXV, et respondet: *Totum incensum, sed igne divino; holocaustum enim dicitur sacrificium cum totum accenditur*; eo quod nempe tota victima combureretur præter pellem. Quare

R. et dico 1: Inter omnia legis. vet. sacrificia holocaustum fuit perfectissimum: pure enim offerebatur Deo in honorem supremæ majestatis ejus, et ad amorem summæ bonitatis ejusdem, in cujus laudem se totos, suaque omnia ista oblatione consecrabant offerentes, etsi a Deo nihil favoris expectarent, inquit Philo. Hinc etiam causa offerendi erat perfectissima: neque enim pro peccatis offerebatur, neque pro impetrando beneficio, vel gratiarum actione, sed ex mera devotione offerentis.

Dices, holocaustum offerebatur ad placandum Dominum, ut dicitur cit.  $\gamma$ . 3: ergo non offerebatur pure in honorem Dei.

R. id dici ex consequenti; quia per holocaustum Deus placabatur, non ex eo quod motivum primum offerentis esset placare Deum: sicuti si quis eliceret actum perfectæ charitatis, ut justificaretur a peccatis suis, motivum formale seu primum istius charitatis non esset justificatio consequenda, sed bonitas divina.

Dico 2. Conditiones ad oblationem holocausti requisitæ recensentur, dum additur  $\gamma$ . 3: *Masculum immaculatum offeret, etc.* Licet igitur in aliis sacrificiis, v. g., in sacrificio pacifico, aut in hostia pro peccato, possent offerri femellæ, tamen in holocausto solus poterat offerri masculus. Cujus causam seu rationem dat Abulensis; quia nempe holocaustum directe tendebat ad honorem Dei, qui cum sit in omni genere perfectissimus, volebat sibi immolari sexum perfectiorem, qualis est masculus. Sacrificia autem pacifica non tendebant directe ad laudem Dei, sed magis ad gratiarum actionem pro pace habita vel habenda, et ideo indifferens erat an masculus offerretur an femina.

Tropologicè insinuat, eos, qui se totos Deo consecrant, masculos esse debere animi fortitudine, et immaculatos vitæ innocentia. Quod autem additur, debere esse *immaculatum*, non intelligitur victimam debere esse unius coloris (bos enim maculatus, id est vario colore, censebatur in ordine ad sacrificium immaculatus); sensus ergo est, debere esse animal integrum, atque perfectum; unde et LXX vertunt: *irreprehensibile*, adeoque non languidum, non monstrosum, cæcum, fractum, etc. Vide quæ dicta sunt Exodi cap XII, Q. 2.

Ad ostium tabernaculi testimonii: quia altare holocaustorum erat ante ostium tabernaculi, adeoque laici oblaturi sacrificium eo usque intrabant in atrium.

Putant aliqui, quod laici non potuerint intrare atrium, adeoque debuerint suam victimam dare sacerdoti ante ostium atrii. A Lapide autem dicit atrium

fuisse bipartitum: ejus pars anterior erat atrium sacerdotum, in quo erat altare holocaustorum; posterior pars, septo ab anteriori divisa, erat atrium laicorum. Laici ergo offerentes victimam in holocaustum, eam ducebant ad ostium tabernaculi, id est ad introitum atrii sacerdotum; ibi enim illi eam excipiebant, ducebantque ad altare holocaustorum, ubi eam immolabant: neque enim ad hoc altare vel atrium sacerdotum ingredi poterant laici. Ita A Lapide. Attamen ex nullo Scripturæ textu constat laicos non potuisse accedere ad altare holocaustorum aut ingredi atrium; sed contrarium potius insinuat, dum infra cap. XII, 4 de puerpera, nondum purificata, dicitur: *Omne sanctum non tanget, nec ingreditur sanctuarium*, id est totam structuram tabernaculi et atrii; ergo post purificationem suam ingredi poterat; unde et ibidem,  $\gamma$ . 6, dicitur: *Cumque expleti fuerint dies purificationis ejus, offeret agnum ad ostium tabernaculi testimonii*, etc. Vide etiam cap. XIV, 41 et seq.

Denique nullum erat inconveniens, quod laici possent intrare atrium, cum per hoc non intrarent tabernaculum, sed tantum accederent usque ad altare holocaustorum, ubi suam victimam tradebant sacerdoti. Cum igitur altare esset ad ostium tabernaculi, et dicantur laici debere deferre suum holocaustum ad ostium, non atrii, sed tabernaculi, nec ullum sit inconveniens: necesse est, ut hæc verba accipiantur in naturali et proprio suo sensu.

Ad id quod dicit A Lapide, respondeo vel intelligi debere de templo Salomonis, non de tabernaculo quod construxit Moyses, vel gratis excogitatum esse: nam Moyses, qui accuratissime describit structuram tabernaculi, nullam facit mentionem de ista divisione atrii in duas partes.

Ad placandum sibi Dominum, ex consequenti scilicet, quia ex oblatione holocausti sequebatur Dei placatio. Vide quæ dicta sunt supra.

$\gamma$ . 4: *Ponetque manum super caput hostiæ*. Male hic aliqui legunt *ponesque*, quasi hoc diceretur sacerdoti: nam in omnibus aliis sacrificiis debebat offerens manum suam ponere super caput animalis: 1. Ut hoc ritu significaret, se victimam suam manu et potestate in Dei jus transferre; et se ipsum simul cum hostia Deo offerre. 2. Ut ista cæremonia insinuaret, se peccata sua imprecare et quasi imponere victimæ immolande, eamque pro se offerre: per manus enim significantur opera, ut notat Theodoretus. Prima ratio erat holocausto propria, secunda latius explicatur infra cap. XVI, 21.

Et acceptabilis erit (scilicet hostia) atque in expiationem ejus proficiens: 1. videlicet ad expiationem poenæ temporalis, et mitioris, quam Deus alioquin in hac vita illi irrogasset: 2. Quia tollebat immunditiam legalem: 3. Quia auferebat culpam coram Deo, et reatum poenæ aeternæ, ex opere tamen operantis (ut loquuntur theologi) id est, offerentis ex charitate et fide Christi, per victimam significati, cum vera poenitentia et contritione de peccatis.

$\gamma$ . 5. *Immolabitque*, offerens, non suis sed sacerdotum manibus, quibus solum competeat sacrificare; unde subjungitur: *Et offerent filii Aaron sacerdotes, sanguinem ejus fundentes per altaris circuitum*, quasi petentes a Deo, ut illum sanguinem animalis acciperet loco sanguinis hominis offerentis, qui mortem per peccatum suum meruerat.

QUÆSTIO III. — QUO RITU OFFERRETUR HOLOCAUSTUM EX ANIMALIBUS MINORIBUS.

Vers. 10: *Quod si de pecoribus oblatio est*. Pecora hic intelliguntur oves et capræ. Debebant autem eodem ritu immolari quo boves et vituli.

Masculum absque macula offeret. Biblia Plantiniana pro masculum habent *anniculum*, adeoque agnus immolandum debebat tantum esse unius anni. Ejusdem opinionis est etiam Josephus lib. III, Antiq. cap. 10, dicens: *Agnum et hædum anniculum, bovem vero licet mactare etiam grandiosem*. Item ipsa Scriptura videtur suffragari, dum infra cap. XXII, 27, dicit, post diem septimum debere immolari ovem et capram. Denique id etiam videtur suadere ratio: nam cum holocausta directe tenderent ad honorem Dei, videtur Deus in illis sibi offerri voluisse quæ erant hominibus magis in deliciis: oves autem et hædi teneri magis sunt in deliciis quam grandiores. Attamen his non obstantibus, nostram lectionem retinendam esse:

Patet 1. Quia ita communiter legunt omnia alia Biblia latina, etiam emendatiora et mendis quam accuratissime expurgata. 2. Eodem modo habetur in textu hebraico, chaldaico et apud LXX. 3. Quia Scriptura variis in locis dicit, potuisse offerri arietes ut infra cap. IX, 2: *Tolle... arietem in holocaustum*. Item cap. XVI, 5: *Vitulum pro peccato offeret, et arietem in holocaustum*.

Josephus autem cum quibusdam aliis forte interpretatus est, talem debere esse agnum in holocaustum, qualis erat paschalis; sed hoc falsum esse, patet ex mox dictis.

Quod ex cap. XXII adducitur, ad hanc rem non facit; nam ibi jubet Deus sibi immolari primogenita animalium (non tantum ovium et caprarum, sed etiam boum) post diem septimam a nativitate eorum. In aliis vero locis jussit sibi Deus in quibusdam quidem casibus offerri agnos anniculos; sed nullibi præcepit ut, quotiescumque aliquis vellet offerre holocaustum de ovibus, offerret agnum anniculum. Hinc ulterius patet rationem adjunctam non subsistere; et deinde etiam militat pro vitulis, adeoque inde sequeretur, etiam, tantum offerri potuisse vitulos teneriores, quod tamen certo non est verum.

$\gamma$ . 14: *Si autem de avibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus aut pullis columbæ*. Ratio cur Deus hæc volatilia voluerit ibi offerri est, ut æque pauperes ac divites potuissent offerre sacrificia: dum enim non poterant emere vitulum aut ovem, facile poterant sibi comparare pullum columbæ, aut turtures. Præterea selegit turtures majores, quia hi sunt meliores: ex columbis vera selegit pullos, quia in co-

S. S. XXVI.

lumbis pulli sunt pinguiore. Ita ex Philone refert A Lapide, et ex Theod. addit Deum noluisse sibi offerri columbas majores, quia cæteris avibus sunt salaciores, nam singulis mensibus generant.

$\gamma$ . 15: *Retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco*. Non poterant ergo cultro jugulari, sed debebat collum torqueri, ut morentur, et deinde locus necionis rumpebatur ungue, ut sanguis posset effluere. Rationem allegoricam dat S. Gregor. Hom. 1 in Ezech.: *Caput turturis incisum olim adhæsit corpori; quia pro nobis quidem passus est Christus, sed a nobis per passionem separatus non est, quinimo nos sibi conjunxit*.

$\gamma$ . 16: *Vesiculam vero gutturis et plumas projiciet*, quia scilicet plumæ comedi non possunt, et vesicula illa sordes continet.

CAPUT II.

Describitur secunda species sacrificii, scilicet Mincha, seu oblatio farinacea: quod sacrificium etiam triplex erat: primum simlæ, secundum panum coctorum, seu in clibano, seu in sartagine, seu in craticula; tertium spicaram.

QUÆSTIO I. — CUIUSMODI FUERIT OBLATIO QUAM HEBRÆI APPELLANT MINCHA ET AN FUERIT VERUM SACRIFICIUM.

Vers. 1: *Anima* (id est homo per synecdochen) cum obtulerit (id est cum offerre voluerit) oblationem sacrificii Domino, in hebræo habetur oblationem mincha, quod Aquila vertit *donum de frumento*, Vatablus *sacrificium cibarium*. Mincha enim Hebræis proprie est sacrificium, quod fit ex farre aut simila: et quia alia sacrificia nomen suum habebant speciale, hoc autem nomine speciali carebat; ideo latinus interpres mincha simpliciter sacrificium vocat.

Dico 1: *Simila erit ejus oblatio* (id est flos farinæ purissimus sine furfure) *fundetque super eam oleum* (velut quoddam saporis condimentum, oleatus enim panis est sapidior) *et ponet thus ad adolendum Deo*.

Dico 2: Mincha seu simila, separatim oblata, fuit verum et proprie dictum sacrificium. Dico separatim oblata, quia de illa tantum hic instituitur quæstio: nam si agatur de illa simila, quæ consueverat offerri in sacrificiis animalium, non erat sacrificium distinctum, sed tantum quasi additamentum et ornamentum illius, de quo Num. XV, 4.

Prob. I. Quia tam Malachias cap. I, 4, quam LXX et interpres latinus dictionem mincha vertunt sacrificium.

Prob. II. Quia illi nihil deerat ad rationem sacrificii: nam panis aut simila cremabatur, aut alio modo immutabatur ad Dei honorem.

Prob. III. Quia alias non fuisset institutum aliquod sacrificium pro pauperioribus.

Obj. I. Si mincha fuisset verum sacrificium, debuisset esse vel holocaustum, vel hostia pacifica, vel hostia pro peccato; non enim aliter dividitur sacrificium veteris legis. atqui nihil tale erat; ergo.

R. Neg. maj. Nam sacrificium in genere non dividitur immediate in holocaustum, etc., sed in sacrificium

(Seize.)



rei animatæ et rei inanimatæ. Sacrificium rei animatæ subdividitur in holocaustum, etc., sacrificium rei inanimatæ in farinaceum et libamen, sive in solidum et liquidum.

Obj. III. In textu non habetur: *Anima cum obtulerit sacrificium*, sed: *cum obtulerit oblationem sacrificii*. Et iterum: *Simila erit ejus oblatio*. Ergo non erat verum sacrificium, sed tantum oblatio.

R. Neg. conseq. Nam in oblationibus res non destruebatur aut consumebatur, sed offerebatur integra, v. g., integri panes fermentati, fruges, poma, etc., ut patet Num. XV, 19: sed in mincha sacerdos accipiebat pugillum, sive manum plenam simila, et illam cum thure et oleo cremabat; et reliquam partem quam offerens attulerat, sive in parva sive in magna quantitate, retinebat sibi.

Inst. Versu 3 dicitur: *Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron et filiorum ejus*. Atqui *sacrificio* non intelligitur nisi de tota illa simila, de qua sacerdos sumebat pugillum; et tamen illa, excepto pugillo, non immutabatur; ergo vel non erat proprie dictum sacrificium, vel si fuerit, debet intelligi de illa simila quæ offerebatur simul cum omni victima carnea.

R. Neg. conseq., nam ad essentiam sacrificii non requiritur, ut tota res oblata immutetur; uti patet in hostia pacifica et hostia pro peccato. Nec potest intelligi de simila, quæ simul offerebatur cum omni victima carnea: nam 1. in mincha quilibet offerebat tantum, quantum volebat; in victimis autem carneis, quantitas erat determinata. Vide cap. XV Numerorum; 2. in mincha cremabatur solum pugillus; in victimis carneis, si erant holocausta, cremabatur totum quod offerebatur: ergo mincha erat sacrificium distinctum ab illa simila quæ offerebatur simul cum omni victima carnea.

QUESTIO II. — OB QUAS RATIONES DEUS INSTITUERIT SACRIFICIUM FARINACEUM.

Resp. et dico 1. Institutum est hoc sacrificium farinaceum, 1. propter pauperiores, ne et illis facultas deesset aliquid offerendi: quanquam enim illis sæpe desit facultas emendi animalia (etiam minora, v. g., columbas, etc., uti patet ex cap. V, 11), rarissime tamen farina et panes desunt.

2. Ut provideretur sacerdotibus et levitis de pane, nam maxima pars hujusmodi sacrificiorum cedebat in usum sacerdotum.

3. Ut, quia tota hominis vita debetur Deo, offerrentur et omnia quibus vita humana sustentatur: atque adeo non solum animalibus, sed etiam terræ fructibus Deus coleretur.

Recentiores quidam quartam rationem assignant, scilicet quod sacrificium erat quasi convivium, quo Deus epulabatur cum hominibus, victimæque erant quasi cibus Dei, inquit A Lapide.

Hanc tamen recentiorum opinionem dure notat Jansenius, dicens quod hæc opinio gentilibus digna sit, non veri Dei cultoribus, quam David videtur re-

probasse, dum ex persona Dei dicit psalm. XLIX: *Numquid manducabo carnes taurorum, etc.*

Attamen opinionem illam non esse ita censurandam, patet ex Malachiæ I, 7 et 12, ubi altare vocatur *mensa Domini*. Nec hoc Deo indignum est, cum hic *ÿ. 2*; et alibi sæpius dicitur victima cremanda in odorem suavissimum Domino. Numquid forte Deus odoratur farinam combustam, aut odore illo gravi et foetido delectatur? Itaque sicut hic dicit, odorem illum sibi esse suavissimum, propter devotionem offerentis, ita similiter erant ejus deliciae esse cum filiis hominum, cum illis manducare carnes taurorum, quando simul immolabant sacrificium laudis, id est devotionem cordis.

Dico 2. Causa allegorica istius sacrificii farinacei fuit, ut non tantum cruenta Christi in ara crucis immolatio per occisiones animalium denotaretur, sed et inuenta ejus immolatio in ven. Eucharistia. Attamen hæc per sacrificium farinaceum videtur tantummodo fuisse præfigurata modo aliquo imperfecto, non autem perfecto; uti præfigurata fuit per sacrificium Melchisedech, de quo late actum est Gen. XIV, q. 5.

Oleum vero significat illam Christi charitatem, quam in offerendo hoc sacrificio manifestavit; thus autem indicat, quod gratissimo odore victima illa ad Deum ascenderet.

CAPUT III.

Agitur de tertia sacrificii specie, nempe de hostia pacifica, eaque assignatur triplex, prima bovis, secunda ovium, tertia capræ: omnem vero adipem et sanguinem sibi Deus deposcit.

QUESTIO I. — UNDE DICTA SIT HOSTIA PACIFICA, ET QUIS EIUS USUS.

Vers. 1: *Quod si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio*: quæ ita dicta est, non quia erat pacificorum, scilicet animantium, ut pro ratione partiali assignat Jansenius; nam tres species animalium hic enumeratæ etiam offerri poterant in holocaustum, sed dicta est *hostia pacifica*, quia offerebatur pro pace, id est salute vel incolumitate, vel obtinenda vel obtenta. Hinc

Nota 1. hic non agi de adipe volatilium, quia in illis aut nullus, aut modicus et parvi momenti est. Nota 2. non etiam agi de illo adipe qui carni adhæret, et illi immixtus est; nam moraliter impossibile est illum omnem a carne separare; sed agitur de illo, qui operit vitalia (*ÿ. 5*), id est qui ambit et tegit partes illas vitales interiores, cor, hepar, pulmones, renes, et alia tractatu continuo; qui proinde facile a reliqua carne separari potest. R. et dico 1: Non poterant Judæi manducare adipem cadaveris morticini, et ejus animalis, quod a bestia captum erat, sed illum habebant in varios usus, puta ad lucernas, unctiones et alia hujusmodi; uti eruitur ex cap. VII, 24.

Dico 2: Certum est, Deo consecrari non debuisset, sed nec potuisse adipem animalium immundorum, uti

damentum dedit nomen hebræum *Sebach scelamim*? Sic namque hæc secunda cruenti sacrificii species hebraice vocatur, quod ista omnia enumerata tanquam connexa significat. Quia enim in quiete et pace rei eujuscumque felicitas potissimum consistit, quam in creaturis rationabilibus salutem vel beatitudinem appellamus, hinc et *sacrificium pacificum et salutare*, etc., merito est appellatum. *Tantum est enim pacis bonum*, uti observat S. P. Aug. lib. XIX de Civ. Dei, cap. 11, *ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus, nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri.*

Dividebatur autem hostia pacifica in tres partes, quarum unam cremantes Deo offerebant, scilicet *adipem qui operit vitalia, et quidquid pinguedinis est intrinsecus: duos renes cum adipe quo teguntur illa, et reticulum jecoris cum renunculis. ÿ. 3 et 4*. Si hostiæ erant ex ovibus, ultra hæc debebant etiam immolare *caudam totam, ÿ. 9*. Secunda pars hostiæ cedebat sacerdoti, scilicet pectusculum et armus dexter, ut patet infra cap. VII. Tertia seu reliquum totum cedebat offerenti.

QUESTIO II. — AN JUDEI DEBUERINT ABSTINERE AB OMNI ADIPE, EUMQUE DEO CONSECRARE.

Inter alias ceremonias victimæ cruentæ, hic servari jussas, dicitur *ÿ. 16: Omnis adeps, Domini erit*. Ex quibus verbis quæstio oritur, an nullum adipem potuerint manducare Hebræi, et an omnem omnino debuerint Deo consecrare. Aliqui putant, quod Judæis prohibitus fuerit omnis omnino adeps omnium animalium; idque conantur probare ex *ÿ. 17*. Hanc sententiam problematice habent Lyranus et Abulensis. Alii existimant quod illis tantum prohibitus fuerit adeps illorum animalium, quæ immolari poterant, scilicet boum, ovium et caprarum. Hujus sententiæ sunt Tirinus, A Lapide, Marius, Jansenius, etc. Alii denique censent, quod illis tantum prohibitus fuerit adeps animalis, quod de facto immolabatur, et consequenter quod potuerint manducare adipem bovis, ovis et capræ, quando illos domi occidebant in cibum suum. Hujus sententiæ sunt Cajetanus, Radulphus, et Lorinus. Quocirca

Nota 1. hic non agi de adipe volatilium, quia in illis aut nullus, aut modicus et parvi momenti est.

Nota 2. non etiam agi de illo adipe qui carni adhæret, et illi immixtus est; nam moraliter impossibile est illum omnem a carne separare; sed agitur de illo, qui operit vitalia (*ÿ. 5*), id est qui ambit et tegit partes illas vitales interiores, cor, hepar, pulmones, renes, et alia tractatu continuo; qui proinde facile a reliqua carne separari potest.

R. et dico 1: Non poterant Judæi manducare adipem cadaveris morticini, et ejus animalis, quod a bestia captum erat, sed illum habebant in varios usus, puta ad lucernas, unctiones et alia hujusmodi; uti eruitur ex cap. VII, 24.

Dico 2: Certum est, Deo consecrari non debuisset, sed nec potuisse adipem animalium immundorum, uti

nec mundorum ad esum, quæ tamen ad sacrificium assumi non poterant, uti cervi, bubali, orygis, etc. Atque horum mundorum animalium adipem comedere poterant, ut docet S. P. Aug., Q. 21 in Levit.

Dico 3: Probabile est, quod Judæi potuerint manducare adipem omnium animalium mundorum, etiam immolabilium seu eorum quæ ad sacrificium assumi poterant, id est boum, ovium et caprarum, quando scilicet illa domi suæ in cibum occidebant.

Prob. I. Quia lex id nullibi prohibet; nam dum agit de animalibus illis, domi in cibum mactandis, nihil prohibet manducari, nisi solum sanguinem. Et enim Deut. XII, 15, de istis animalibus ita statuitur: *Sin autem comedere volueris, et te esus carniū delectaverit, occide et comede juxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in uribus tuis: sive immundum fuerit (nempe non ad esum, sed ad sacrificium), hoc est, maculatum et debile; sive mundum (ad sacrificium videlicet), hoc est, integrum et sine macula, quod offerre licet, sicut capream et cervum comedes. ÿ. 16: Absque esu duntaxat sanguinis, quem super terram sicut aquam effundes. Ex quibus verbis liquet, quod lex illa, concedens esum istorum animalium, solum sanguinem excludat, et consequenter totum reliquum (adeoque et adipem) Judæis comedere permittat. Item juxta illam legem, Judæi poterant manducare animalia immolabilia, sicut poterant manducare non immolabilia, puta maculata et debilia, item cervos et capreas: atqui tum ex verbis mox cit. textus, tum aliunde certum est, quod animalia non immolabilia possent manducare cum adipe; quandoquidem adipem illum offerri ipsis non liceret; ergo et ex eisdem erui videtur, quod etiam animalia immolabilia possent manducare cum adipe.*

Dices: Judæi etiam non poterant offerre adipem morticini; atqui tamen propterea non poterant illum comedere; ergo, etc.

R. Neg. conseq. Disparitas est, quod ne quidem carnem illius possent comedere; ut habetur infra cap. XVII, 15.

Prob. II. Si Judæi non potuissent manducare adipem præfatorum animalium, sequeretur quod omnem talem adipem debuissent Deo offerre; siquidem adeps animalium immolabilium, quo vesci non licebat, Domino consecrari debebat; ut liquet hic ex *ÿ. 16*: atqui tamen impossibile erat ut adeps omnium animalium immolabilium, quæ domi ad solum cibum occidebantur, offerretur Deo; ergo, etc.

Prob. min. Quia etiamsi admitteretur id quod docet A Lapide in cap. XII Deut., nempe cum illis, qui valde procul distabant ab urbe Jerosolymitana, fuisse in hac lege dispensatum; tamen adhuc impossibile videtur, quod omnes omnino adipem animalium quæ tum Jerosolymis, tum circum circa a toto populo quotidie occidebantur, potuerint in uno altari cremari: si enim in solo palatio Salomonis quotidie mactabantur 50 boves, et 100 arietes, ut dicitur III Reg. IV, 23, quot non occidebantur a populo adeo tunc multiplicato?



His aliqui addunt, quod non debuerint cremare adipem agni paschalis, sed ipsum totum cum pedibus ejus et intestinis vorare; ut dicitur Exod. XII, 9.

Obj. I. Judæi eodem modo debebant abstinere ab adipe, sicut a sanguine: atqui debebant abstinere ab omni sanguine: ergo etiam ab omni adipe.

Prob. maj. Quia hic  $\gamma$ . 16 et 17 dicitur: *Omnis adeps, Domini erit jure perpetuo in generationibus et cunctis habitaculis vestris: nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis.*

R. Disting. maj. Debebant abstinere ab adipe hostiarum, sicut a sanguine; concedo maj.: ab adipe animalium, ex quibus non fiebat hostia, sed nude occidebantur ad cibum; nego maj. et conseq. ac dico in cit. textu agi de adipe animalium, quæ Deo offerebantur in sacrificium, non autem de adipe eorum animalium quæ domi a privatis occidebantur. Etenim quod Judæis non eodem modo fuerit interdictus esus adipis, sicut ipsis fuit interdictus esus sanguinis, inde liquet quod esus sanguinis cujuscumque animalis ipsis prohibitus foret, et tamen non erat ipsis prohibitus esus omnino adipis: siquidem adipe animalis maculati, et immundi ad sacrificium, vesci eis licebat, quandoquidem adipem illum Deo offerre non possent.

Itaque sicut alii vocem *omnis* restringunt ad adipem animalium immolabilem, dum dicitur: *Omnis adeps, Domini erit*; ita pariter videtur ista vox *omnis*, item et illud: *Nec adipem omnino comedetis* posse restringi ad adipem hostiarum; quandoquidem certum apparet, textum illum non posse generaliter intelligi de quocumque adipe.

Inst. I. Si hæc explicatio subsistat, sequitur quod ex textu citato non possit evinci, Judæos debuisse abstinere ab omni prorsus sanguine; et consequenter quod etiam potuerint comedere sanguinem eorum animalium, quæ nude occidebant ad cibum.

R. Transmittendo primam sequelam, sed nego secundam: nam quamvis ex hoc præcise loco probari non possit, quod debuerint abstinere ab omni prorsus sanguine; tamen id omnino clare patet ex multis aliis: quia ubicumque Deus permittit esum alicujus animalis, ibi expressis terminis prohibet esum sanguinis; ut liquet ex loco Deut. XII. Prob. I. cit., et infra cap. VII, 26, ubi dicit: *Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tam de avibus quam de pecoribus.* Item cap. XVII, 14: *Sanguinem universæ carnis non comedetis*, etc. Nullibi tamen sic loquitur de adipe, sed potius innuit contrarium; ut constat ex Prob. I. Deinde esus sanguinis tunc erat generaliter prohibitus omnibus hominibus, nam Gen. IX, 3, dicit Deus ad Noe et filios ejus: *Omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum...*,  $\gamma$ . 4. *Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis.* Ita quidem, ut Apostoli, Act. XV, 29, gentiles ad fidem conversos hac lege obligaverint.

Inst. II. In textu supra cit. dicitur, quod Judæi adipe abstinere debuerint jure perpetuo, et in cunctis habitationibus suis: ergo etiam domi suæ, sive in

habitatione sua occidentes animal, debebant adipem segregare.

R. Neg. conseq., nam sensus est hic: Hanc legem non manducandi adipem hostiæ, sed eum Domino consecrandi observabitis semper et ubicumque habitaveritis.

Inst. III. Judæi etiam adhuc hodie dum ab omni adipe abstinent, ut ex illorum relatione refert S. P. Aug., Q. 21 in Levit.

R. inde nihil sequi, nam quid Scriptura voluerit, non quid illi opinati fuerint, requirendum est, inquit S. P. ibidem. Qui textus bene notandus est pro multis aliis argumentis, quæ a praxi Judæorum petuntur. Et sane ex ipso Evangelio constat, quod multa observaverint, quæ tamen observare non debuerunt.

Obj. II. Cap. VII, 23, dicitur: *Adipem avis, et bovis, et capræ non comedetis*; ergo Scriptura Judæos prohibet comedere adipem omnium prorsus animalium immolabilem: nam textus debet intelligi generaliter sicut jacet.

R. Neg. conseq., nam se explicat de quo adipe loquatur  $\gamma$ . 25: *Si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo.* Agit igitur Scriptura loco cit. de solo adipe hostiæ, qui debebat offerri: jam autem adeps animalis, quod domi nude occidebatur ad cibum, non debebat Deo offerri: ut liquet ex Prob. I: imo nec semper offerri potuisset, ut patet ex Prob. II.

Obj. III. S. P. Aug. Q. 21 in Levit. ait: *Cum dicit (Scriptura) omnem animam perire de populo suo, qui ederit adipem eorum pecorum ex quibus Domino offertur, videtur definivisse, illum tantum adipem de pecoribus mundis prohibitum manducari, ex quibus fit sacrificium.* Ergo censet, non potuisse manducari adipem animalium ex quibus fit sacrificium, id est boum, ovium et caprarum.

R. Disting. conseq. Censet, etc., ex animalibus, ex quibus fit sacrificium actualiter, concedo: ex quibus potest fieri sacrificium, sed tamen actualiter non fit, nego conseq. Nam verba ejus non plus important, quam Judæos non potuisse manducare adipem eorum animalium, quæ ad ostium tabernaculi ducebant, ut sacerdotes ex eis ibidem Domino offerrent sacrificium.

Inst. S. P. subdit: *Denique non inveniunt (Judæi) quid recte de adipe faciant unde se abstinent, et quo exodo eum projiciant cum dictum sit, OMNIS ADEPS DOMINO: si non adipem sacrificiorum tantum, sed etiam eorum animalium de quibus non sacrificatur, quamvis immundorum, hic voluit intelligi.* Ergo agit non tantum de animalibus, ex quibus fit sacrificium actualiter, sed etiam de illis ex quibus fieri potest: nam distinguit inter adipem sacrificiorum, id est animalium sacrificabilium, ex eorum animalium de quibus non sacrificatur, nec actualiter nec potentialiter, cum addat: *Quamvis immundorum.*

R. Neg. conseq., nam imprimis S. P. tantum intendit dicere quod Judæi non possint scire, quid debeant facere, cum adipe illius animalis quod Domino

non sacrificatur actualiter, præsertim si sit animal maculatum aut immundum; quia putant (ut ipse ob aliorum relationes credebatur) se ab omni adipe debere abstinere. Ac proinde ulterius patet, quod hanc quæstionem ibidem non tangat, sed tantum refellat malam opinionem Judæorum, qui putabant se debere ab omni adipe abstinere: adeoque sensus est: Quid ergo facient de adipe animalis immundi, a quo se abstinent ideo, quia Dominus dixit: *Omnis adeps, Domino, nam illum offerre non possunt?* Ergo ille textus intelligendus est de solis animalibus, ex quibus Deo sacrificatur. Sed an intelligendus sit de animalibus, ex quibus tantum actualiter sacrificatur, an etiam de illis ex quibus sacrificari potest, sed tamen actualiter non sacrificatur, S. P. ibidem nec resolvit, nec inquiri: adeoque inde nihil sequitur contra hanc sententiam; quam interim non ut certam, sed ut probabilem duntaxat hic proposuimus.

## CAPUT IV.

Describitur quarta sacrificii species, scilicet hostia pro peccato, et quidem per ignorantiam commisso.

QUESTIO I. — AN LEX HOSTIÆ PRO PECCATO NON TANTUM EXTENDATUR AD PRÆCEPTA CEREMONIALIA, SED ETIAM AD NATURALIA.

Nota: Hostia pro peccato per ignorantiam commisso, hoc cap. assignatur quadruplex: prima pro peccato pontificis, quæ erat vitulus; secunda pro peccato populi, quæ pariter erat vitulus; tertia pro peccato principis, quæ erat hircus; quarta pro peccato plebis, quæ erat capra vel ovis.

Deus itaque præcipit Moysi  $\gamma$ . 2: *Loquere filiis Israel: Anima quæ peccaverit per ignorantiam (tam juris quam facti) et de universis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quippiam fecerit, scilicet committendo vel omitendo, etc. Existimat Abulensis ad de universis mandatis tantum intelligi de mandatis ceremonialibus, non de naturalibus; adeoque Judæos non debuisse offerre hostias pro peccato commisso contra jus naturæ, sed tantum contra præcepta illa judicialia et ceremonialia, quæ Deus per Moysen observari præceperat. Contra quem*

R. et dico: Non solum hic intelligi debent præcepta ceremonialia, sed etiam naturalia.

Prob. I. Quia textus expressis terminis dicit: *De universis mandatis*; atqui nihil cogit hunc textum ad sola ceremonialia restringere; ergo.

Prob. II. Quia equidem aliquis modus esse debebat ad expiandum peccata contra jus naturæ per ignorantiam commissa; atqui nullus alius erat quam hic; ergo.

Prob. III. Infra cap. V agitur de sacrificio pejerantis, qui hoc oblitus postea intellexerit delictum suum. Item cap. VI agitur de sacrificio negantis proximo deposita, vi aliquid extorquentis, calumniam facientis, si rem perditam invenerit, et inscians insuper pejeraverit, et quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines. Atqui hæc omnia repugnant juri naturæ; ergo.

Obj. I. Transgressio præceptorum legis naturalis

plectebatur poenis in lege moysaica statutis; ut liquet infra ex cap. XX et XXIV: item ex Deut. XIX, et Exod. XXII: ergo lex de hostia pro peccato videtur ad ceremonialia tantummodo extendi.

R. Disting. ant. Plectebatur poenis in lege statutis, si peccata forent scienter commissa, eaque publica et ad forum judiciale delata; concedo ant. Si forent per inadvertentiam aut ignorantiam commissa, eaque occulta et ad forum judiciale non delata; neg. ant. et conseq. Nam cum illæ poenæ et mulctæ in lege statuta non possent infligi nisi per judicem, clare sequitur quod per poenas et mulctas peccata occulta puniri non potuerint; adeoque pro illis debebant offerri hostiæ hic præscriptæ.

Obj. II. Agitur hoc cap. de peccatis ex ignorantia commissis, et quidem ab ipso summo sacerdote, principe, vel etiam a toto populo: atqui moraliter impossibile est, ut totus populus ex ignorantia peccet contra jus naturæ; ergo, etc.

R. Disting. min. Impossibile est, ut totus populus peccet ex ignorantia juris; transeat: ex ignorantia facti; nego min. et conseq.: nam cum ignorantia etiam solius facti, si sit culpabilis, imputetur ad peccatum, nihil obest, quominus ex tali ignorantia peccare potuerit totus populus. Quid enim vetat, quominus sacerdos, princeps, populus, aut privata persona per errorem facti, aliquatenus culpabilem occidat hominem, detineat rem alienam, juret falsum quod putat esse verum, inferat bellum ob causam iniquam, quam putat esse æquam, etc.? Et sane nota est historia Jephthæ, ex qua colligitur magnam fuisse ignorantiam legis non occides (si nempe, ut multi putant, filiam realiter immolando peccaverit) in ipso principe, in sacerdotibus et in populo mortem illius filiae putantibus esse licitam aut inevitabilem. Deinde quidni in illos poterat quoque cadere ignorantia juris, saltem simpliciter vincibilis?

QUESTIO II. — DE HOSTIA PRO PECCATO PONTIFICIS.

Resp. et dico 1. De hostia pro peccato pontificis statuuntur sequentia: si, ut dicitur  $\gamma$ . 5, sacerdos, id est pontifex; nam LXX vertunt ἀρχιερέως archiereus, id est princeps sacerdotum; et chaldæus habet: *Sacerdos magnus.*

Qui unctus est, nempe solemnè illa unctione, de qua Exod., XXIX, 7, qua nempe solus summus sacerdos ungebatur. Ac proinde si pontifex quidem designatus, sed nondum consecratus, peccasset, victima plebei aut principis se expiare debebat; qua victima quoque expiabantur peccata minorum sacerdotum.

Peccaverit, delinquere faciens populum, id est si peccato suo scandalizet populum, eique exemplo suo occasionem ruinæ spiritualis dederit: *Offeret pro peccato suo vitulum, quem  $\gamma$ . 4 jubetur adducere ad ostium tabernaculi, et ponere manum super caput ejus, ac jugulare coram altari holocaustorum.* Et tunc hauriens de sanguine ejus, inferebat in tabernaculum testimonii, et aspergebat septies contra velum sancti sanctorum, ut dicitur  $\gamma$ . 5 et 6: et